RELATIO

Glorioſiſsimæ expeditionis, victorioſiſsimi progreſſus, & fauſtiſsimæ pacificationis cum hoſtibus

Sereniſsimi & Potentiſsimi Principis ac Domini,

Dni. JOANNIS CASIMIRI,

REGIS POLONIÆ & SVECIÆ, &c. &c.

ANNO M. DC. XLIX.

QUa occaſione anno præterito Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo Octavo Coſaci Zaporovienſes, uno nefario authore conciti, inito fœdere cum Tartaris Budziacẽſibus eorumque Duce Tohaibeo, & deinceps cum Chamo Crimenſi arma contra Reipublicæ exercitum, ejusq; Duces ſumpſerint, quanta noſtra clade ad Corſunum pugnatum, quam ingentem deinde Exercitum infinita ruſtica plebs, continuo armorum contra Tartaros uſu, bello aſſueta, atque exemplo Coſacorum tumultuantium ad rebellionem concita effecerit, quid Exercitus noſter Panico quodam terrore à Pilaviecijs diſſipatus, deinde à Leopoli repulſus Reipublicæ conſternationis atq; mœroris iniecerit, quid ipſi Varſaviæ, atq; toti Electionis Novi Regis con-

conventui trepidationis intulerit, admoto hostili exercitu Zamoscio, illudq; obsidente minime opus est ad præsens recẽsere. Itaq; illud memoraverim, quod vel ipsa fama, quasi jam electi Regis JOANNIS CASIMIRI tãtum potuerit, quod tam ingentes hostiles exercitus relicto Zamoscio ad suas sedes remigrare coëperit, atq; Rempublicam ab interitu (si hostis Vistulam transire voluisset) liberaverit. Nimium hæc omnia, quia anno præterito Orbi Christiano nota sunt, nova narratione non egent, & rapit in sui admirationem animum, cum singularis & extraordinaria Dei providentia, quâ hoc anno res Polonicas fovit, tum ingens animus & Spiritus Regis JOANNIS CASIMIRI, quo rebus tam dubijs, & summis Regni periculis commissorum sibi à DEO populorum & Dominiorum defensionem suscepit. Utrumq; enim hoc tacere peccare esset in Deum impietate, & in unctum ejus ingratitudine. Optimæ spei, in quam nos erexit tam faustum initium Regni JOANNIS CASIMIRI, successerunt Comitia felicis ejus Corona-

ronationis, in quibus cum orarent Ordines, ut si commissio Pacificatoria ex voto non succederet, ipse Rex in hostem ire vellet, Regiamq; Majestatem opponeret, quamvis intelligebat, nō satis ab Ordinibus provisum esse securitati Reipublicæ, neq; ea decreta subsidia, quæ tam ingenti bello agendo sufficerent, magno tamen & imperterrito animo hanc in se provinciam suscepit, omnem suam auctoritatem, etiam apud exteros, ad hoc unum conferendo. Bellum itaq; ab hinc præparare non destitit, præfectis interim exercitui tribus Ducibus pari potestate, qui imperata Regis exequerentur, quæcunq; illis per intervalla Georgius Comes â Teczyn Ossolinski Sacri Romani Imperij Princeps, Supremus Regni Cancellarius, per citissimos nuncios deferret. Ita consumptum reliquum hyemis, & magna pars veris. Cum interim jam constaret Regi, quid in causa fuerit irritæ commissionis Pereaslaviensis, & unde imponebatur necessitas Ducibus Regij exercitus, cum rustica plebe, circa Barum cruento, sed tamen felici

Marte

Marte decernendi, nempe patuit jam consilium hostis, tradendi Regni Transylvano, inita cum eo armorum societate, in quam ut & Moscum pollicitatione magna parte Provinciarum Russicarum pertraheret, plurimum idem hostis laborabat, sed in hoc potissimum omnes ingenij sui nervos intenderat, ut omnes, quotquot sunt, potentissimas Tartarorum Ordas in subsidium sibi contra nos adscisceret. In hoc conatu dum hostis tempus insumit, usus eâ morâ prudentissimo consilio Rex, missisque legationibus formidabilem illam cum Transylvano & Moscho armorum conjunctionem avertit, & appropinquante Festo Pentecostes, quod Regij Comissarij Terminum armistitij fecerant, Ducibus Exercitus sui imperat, ut coadunato exercitu hostem aggrediantur, neq; tempus rei agendæ omitttant, priusquam hosti subsidia Tartarica advenirent. Exequuntur Regia imperata Duces, hostem multis in locis ad internecionem cædunt, præsidia ejus arcibus, Civitatibus deturbãt, easq; in potestatem Regis redigunt: quo tumultu ex-

tu excitus Chmielnicius , cùm trecentorum millium exercitu , ingentibus præterea Tartarorum fultus auxilijs adeſt. Contraxerant jam Regij Duces, circa Conſtantinovum rem contra hoſtem agentes, omnes ferè eas vires, quæcunq; ex Decreto Comitiali haberi poterant, verum cum eas hoſtili potentiæ impares cernerent, ſecedendum ſibi ad Zbaraſcenſem arcem putârunt, loco commodo, uti ab eventu patuit, ſitam, ibiq́ue caſtris locatis, eandem vallo, & foſsâ muniunt, fixum in animo habentes, duram potius & arctam, dum nova venirent ſubſidia, ferre obſidionem, aut fortiter pugnando occumbere, quam turpi fugâ ſibi conſulere. Interim Rex cõvocato Varſaviam Senatu, animi ſui propoſitum in hoſtem die Sancto Joanni Baptiſtæ ſacrâ eundi ei aperit, fauſtisq́; omnium exceptis acclamationibus edicit. Die verò ſupradicta, adveniente benedictione â Nuncio Sedis Apoſtolicæ acceptâ enſe & vexillo ſibi ex altari tradito, movit Lublinum verſus, quod intra decimam â profectione Varſavienſi diem, ſolemni militari pom-

ripom-

ri pompa à Nobilitate & multitudine exceptus, ingressus est. Ibi aliquantisper, dum novæ legiones convenirent, moratus, fit certior de de obsesso ad Zbarasium exercitu, quare omni abjectâ morâ, quamvis parvo adhuc exercitu, neque comparentibus speratis subsidijs, intrepido animo, summâ in auxilio DEI, quam mente hauserat, fiducia, Lublino decimâ septimâ Julij proficiscitur, & in ipso discessu suprascriptum Regni Cancellarium, exercitus se comitantis Locum-tenentem Generalem constituit.

Sequenti die Crasnostavum ventum, & omnibus viribus in unum collectis, magnis quotidiè itineribus, Rex castra promovebat, excipiendo per intervalla hinc & indè advenientes succursus. Illud unicum Regem anxium faciebat, quod missi in omnes partes varij exploratores nihil certi de hoste afferebant, nec ii, qui magno precio, spreto salutis periculo, penetrandi ad castra obsessorum emptam operam locabant, revertebantur, nihil omninò ab exercitu obsesso adlabente notitiæ. Venit tandem Vigesima

tertia

tertiâ die à profectione Lublinensi ad Castra Regia, ad Toporovum sita, vnus strenuus miles, literasq; attulit ab obsessi exercitûs Ducibus, strictam obsidionem, famem, & aliarum rerũ bellicarum inopiam significãtibus, Regiamq; Majestatem, ut opem festinaret, obtestãtibus. Tum vero jam quam celerrime, & quam proximis itineribus, in subsidiũ deplorati propè exercitûs, properare visum, eâ tamẽ electâ viâ, quâ adveniẽtes à Leopoli cohortes Regem assequi, & commeatus ab eadẽ Civitate, reficiendo militi, præsertim pediti, posset suppeditari. Promota itaq; castra versus Oppidum Bialocamenũ, vbi ob injurias cœli quatriduum consumptum, non sine ingenti Regis solicitudine, quod de hoste nihil sciebatur. Quamvis enim non deerant, qui spreto salutis periculo, ex castris Regiis excurrendo, interciperent captivos, sed quia ex illis nec de potentiâ hostili, nec de consilio quidquam perfecti intelligi potuit, in eadem de hoste ignorantia, ut ante, versabamur. Eâ enim iste rebellis Cosacorum Dux vsus est arte, quod excitis in auxilium

 suum

ſuum ingentibus, neque antea viſis Tartaricis copiis, quibus vnà cum Coſacorum Legionibus conjunctis, Regium exercitum obſederat, ita in officio continuit ſuum exercitum, vt nullam inde excurſionem, tanquam ipſe obſidione cingeretur, permitteret, ſed quicquid Barbari ad vſum poſcebant, in caſtra eorum inferri faceret. Progredienti decimâ tertiâ Auguſti cum exercitu à Zloczevvo Regi occurrunt cohortes Palatini Cracovienſis, captivumq; Tartarum adducunt, à quo illud tantum exploratum, adeſſe Chanum Crimenſem in exercitu Coſacorum, cæterum quod hoſti conſilium fuerit, quis exercitus noſtri ad Zbaraszium ſtatus, nihil certi ab eo intellectum. Progrediebatur nihilominus eo die exercitus, conſpicuâ ſanè acie, quam Rex ipſe alijs etiam diebus, admirantibus vetuſtiſsimis militum, ſolebat inſtruere, vt in ipſo itinere aſſueſceret miles ſervare ordines, tenere gradum, ferendique alijs ſubſidij modum ediſceret.

Hòc ordine cum eâ die inceſsiſſet Exercitus, Rex inclinante & veſperaſcente die, medio

dio à Zborovo milliari, ſex circiter leucis ab hoſte diſtanti loco, caſtra locat: Craſtinâ die ulterius progreſſurus, niſi prohibuiſſet paludoſa & limoſa apud Zborovvozvia, ob adiacentia utrinque ſtagna & ſuopte ingenio madentem terram, ideoq; tranſitu difficilis. Quamobrem per ſequentem diem decimam quartam Auguſti ibidem ſubſiſtere viſum, dum iter inſtauraretur traducendo commodius exercitui. Interea Rex craſtinum Feſtum Aſſumptionis in cœlos Deiparæ, ſolitâ pietate præveniens, ſacram ſynaxim ſumpſit, magno totius Exercitûs ſpectantis ad pietatem ſenſu. Hoc cultu perſoluto ſuperis, Rex ad ſolitâ belli munia regreſſus, quid in itinere, quid in prælio, ſi ad illud ventum foret, agendum eſſet, cum Cancellario & alijs Senatoribus contulit, & ea quæ conſtituerat, Tribunis militum, Centurionibus, & quorumcunque illa ſcire interfuit, edici mandavit. Inclinante jam die, incertum quo authore, currebat per caſtra rumor, hoſtem in vicinia aliquot locis viſum, ſenſim caſtris adre-

 pentem,

repentem, quamobrem mandato Regis Cancellarius Marcum Gdeſsynium militem, & Centurionem veteranum, imprimis verò peritiâ explorandi de hoſte ante omnes celebrem, hocque nomine ab anterioribus Ducibus commendatum laudatumque, additis illi aliquot levioris armaturæ cohortibus, & Centurionibus hâc in re peritis, ire jubet cauſa explorandi de hoſte, monetq; ne ſine inſigni aliquo captivo ad Regem regrederetur. Reverſus veſperaſcente die Gdeſsynius, retulit Regi ſe ad trium milliarium ſpatium, omnia loca circumcirca perluſtraſſe, ſed nè veſtigium quidem hoſtis reperiſſe: itaq; juſſu Regis monet Cancellarius Caſtrorum excubitores, ut craſtinâ luce quam maturrimè verſus Jeziornam proficiſcerentur, viderentq; num aliquis motus ſit ab hoſte, ſecundum hos iret primâ vigiliâ, ducente eam Carolo Duce Corecenſi, illũ deniq; ſequeretur ipſe exercitus, cum tormentis & apparatu bellico, ſuperato difficili & limoſo tramite, de quo ſupra diximus, præſtolaturus, dum

dum currus & impedimenta omnia limoſam eandem viam ſuperarent. Inſuper dat negotium cohortibus Palatini Cracovienſis, ut in loco caſtrorum ſuorum tantiſper manerent, donec currus omnes & impedimenta tranſirent.

Venit dies decimaquinta Auguſti, dies inquam ſacra triumphanti Cœlorum Reginæ, imo & Poloniæ, quo titulo eam totum hoc Regnum ſupplex veneratur, perficiuntur omnia imperata Regis, abeunt ſummâ luce caſtrorum excubitores, eos ſequitur cum primâ vigiliâ Dux Corecius: ſuperanti limoſam viam exercitui, ipſemet Rex inde fatigatus aſsiſtit, impedimenta & apparatus bellicus, paludoſum tramitem tranſeunt. Interim Caſtrorum excubitores uſq; Jeziornam, vnâ & mediâ leucâ à Caſtris diſtantem, progreſsi, viſis â longê aliquot antecurſoribus Tartaricis, nunciant Regi adeſſe hoſtem, ut ipſi rebantur, non cum toto exercitu, ſed validâ ejus parte venientem: quod poſtquam intellexit Rex, advocatis iis, quos laboris ſocios ſibi adſciverat, inſtruere incipit illam

 partem

partem exercitûs, qui paludoſum illum tramitem ſuperaverat. Sed vaferrimus & velociſsimus hoſtis, non armis, non ſarcinis, aut ullis impedimentis onuſtus, ſemperq; celeritate bellare ſolitus, tum quoquè eâ uſus, non multùm temporis ſtruendæ aciei conceſsit, nam quinq; milliaribus, à loco ubi Regium obſidebat exercitum, hâc nocte confectis, cum Centum millibus Tartarorum, & quinquaginta millibus ſelectiſsimi equitatus Coſacorum, Regi occurrit, ſubſequentibus Centum quinquaginta millibus Coſacorum, qui veſperaſcente eâ die advenerant. Poſtquam itaquè propius acceſsit hoſtis, quinquaginta millia ſuorum in alteram partem paludoſæ viæ, ad circumvenienda terga noſtra deſtinat: Centum verô millia à fronte Regis locat, vt vtrinque exercitum noſtrum premeret. Antequam in conſpectum Regij exercitus veniſſet hoſtis, à tergo, nimirum ex alterâ parte limoſæ illius viæ, ſupra quam currus noſtri, arctiſsimo agmine tranſitum præſtolantes, conſtiterant, oritur tumultus, & diſſoni cla-

ni clamores, quibus permota pars illa exercitus, quæ nondum transierat, vertit se in hostem cum suis Centurionibus, & Tribunis Militum ibi nescitur quo errore (nam variis hoc imputatur) cohortes nostræ longè à curribus & Oppido jam milite firmato abductæ, deserto insuper peditatu, ad arcendum transitu hostem, supra limosum tramitem relicto, quem protegere debuerāt, præbuerunt occasionem, & delendo illi peditatui, & suæ Cladi, quam acceperunt. Periêre enim tunc Balduinus Comes de Teczyn Ossolinski, Magni Cancellarij ex Fratre Nepos, Felix Tyskievicius Palatini Brestensis Filius, Joannes Rzeczycki Capitaneus Vzsedoviensis, præter alios viros insigniores, minor tamen fuit quam pro tumultu cædes, nam computatis etiam vilioribus capitibus non amplius ex nostris, in eâ parte paludosi tramitis, quam mille desiderati, reliqui, quibus fortuna belli tunc pepercit, inter currus se recipiendo, obversi in hostem eum fortiter repulerunt, & postmodum superato difficili illo tramite, Regi se, & reliquo exercitui

asso-

associârunt. Dum ita res in illa parte agitur, veniunt in conspectum Regis divisi bifariam exercitus hostiles cõstituentes Centum millia hostium. In primis conserit cum hoste manus prima vigilia quam ducebat Dux Corecensis. Diu Vir fortissimus sustinuit hostem, tandem obrutus multitudine, sensim & pugnando versus exercitum nostrum se recipit, hoste etiam subsequente.

Ibi verò inprimis patuit gloriosa, expediti in omnia pericula, animi, Magni Regis Nostri fortitudo, cum inusitato non tantum Monarchis & Regibus, sed etiam Ordinarijs exercituum Ducibus exemplo, ante primam aciem in patenti campo, solo stricto gladio armatus, ubiq; occurrebat, ubiq; aderat, suos animando, hâc immortali gloriâ dignâ voce ad milites vsus: Vobiscum vivere, moriq; volo. His non contentus, nutantibus primæ vigiliæ vexillis, submittens in subsidium novas cohortes, ipsemet Rex in aciem eas produci, hostemque ad cedendum cogit. Verùm cum neq; hæc submissa

à Rege

à Rege ſubſidia, affluenti innumeræ hoſtium multitudini reſiſtere poſſent, Cancellarius à Rege juſſus in lævam advolat, hisquè laborantibus ſubmittit ſubſidia, hisquè cedentibus, ipſe ſe cum reliquis cohortibus opponit, non denſâ ſagittarum procellâ, non ingenti Tartarorum cuneo ſibi potisſimum, ut erat formâ corporis & habitu cõſpicuus, imminenti, perterritus. Conſtiterant in ſecundo agmine auxiliares cohortes, quas contra hoſtem Rex ſuccedere jubet, illæq; impigrè irruentes, ſuſtinuerunt impetum hoſtis; converſo deinde in ſubeuntes per occultas valles Coſacos, qui forte aderat in lævo cornu peditatu, ſenſim deferbuit furor hoſtilis, deincepsquè ſolas velitationes exercendo, & tentato, irrito conatu, dextro cornu, quod Potocius Palatinus Podoliæ curabat, lævum verò Georgius Lubomirſcius Capitaneus Cracovienſis, aliquot horis ante occaſum ſolis turpiter hoſtes campo ceſſerunt, & in ſua caſtra ſe recipiendo, advenientibus centum quinquaginta millibus Coſacorum, de quibus ſupradiximus, ſenſim ab

omni parte,& è longinquo exercitum, & castra Regia circumdando, formam obsidionis ostentabant.

Ita dies is, qui Poloniæ extremus videbatur, illâque cadente toti Christianitati fatalis, inauditâ & incomprehensibili providentiâ Dei, & gloriosissimâ fortitudine imperterriti Principis exactus est; desideratis in hâc parte quinquè aut sex militibus, viginti verò aut ad summum triginta vulneratis. Depulso hoste Rex cum Senatu præsente,castrensi more,in equis deliberat,quid facto opus sit, spectatâ tantâ multitudine hostium,trecenta millia superantium, præter alium hostilem,exercitum, qui Regium exercitum jam semisepultum obsidebat. Versabatur ante oculos periculum, ne & iste exercitus simul cum Rege obsidione clauderetur,circumfusis jam nobis vndiq; hostium copiis; Ad ferendam vero obsidionem nec locus munitus, nec abundantia Victualium, nec spes alicujus auxilij aderat, clauso obsidione Rege, & in vtrisquè castris primariis Præfectorum. His inter

ter se agitatis, variæ erant sententiæ, ferè tamen ab omnibus in eam sententiam itum, aut Principem clandestinê abducendum esse, aut Chanum Crimensem blandiori Epistolâ demulcendum, atq; à societate Cosacorum variis pollicitationibus abstrahendum.

Cancellarius verò cum neq; clandestinum modum abducendi Principis, neq; ferendi subsidij vllam viam rationemq; inveniri posse asseruisset, omnem spem salutis à providentiâ DEI, & à fortitudine optimorum bello virorum petendam esse duxit, hoc est, conglobato exercitu quærere oportere salutem per medios hostes, cætera Deo committenda. Interim non abs re putavit, compellare Chanum literis, non ejusmodi tamen tenoris, quæ indignitatem aliquam, quasi jam victi Principis, præseferrent. Itaquê postquam Rex fugam detestatus & abominatus, hanc ultimam secutus est sententiam, demandavit supremo Cancellario, vt eas literas ad Chanum mitteret, quas ipse Regentem Cancellariæ suæ, sine morâ, infrascripti tenoris, exarare jussit.

JOANNES CASIMIRUS DEI gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kioviæ, Volhyniæ, Smolensciæ, Cernichoviæq́ʒ, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumq́ʒ hæreditarius Rex, Magnarum Ordarum libero Chano Islan Giereio, Cerkassiensi, Nahacensi, Petiorensi, Szemensi, Perecopensi, Crimensi, Amico & Fratri Nostro salutem. Cum sciamus te memorem esse beneficiorum à Fratre Nostro, Serenissimo & Potentissimo Domino, Domino VLADISLAO IV. olim Poloniæ Rege, (cœlesti jam Regno fruente) acceptorum, qui te benignè tractavit, incolumem servavit, libertate donavit, quam nactus hoc imperium, quod nunc tenes, adeptus es, miramur, quod cum memor sis tantæ Serenissimi & Potentissimi Vladislai IV. Fratris Nostri ergate beneficientiæ, cum nos venimus ad sedandos motus imperij nostri, associâsti te huic rebelli nostro, & contra exercitum nostrum arma sumpsisti, licet nullo tuo solatio & fructu, speramus enim quod neq́ʒ postmodum DEUS conatus tuos prosperabit: Nihilominus polliceri tibi amicitiam Nostram, & revocare tibi in memoriam beneficia Fratris Nostri, nunc amicitiam Nostram tibi offerimus, & utrinq́ʒ illam florere cupimus. Datum in Castris ad Zborowo die decimâquintâ Augusti, Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi, Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Nono, Regnorum Nostrorum Poloniæ I. Sueciæ II. Anno.

Ad Mandatum Sac. Reg. Majestat. Proprium.

His cum literis eâdem nocte, miſſo captivo Tartarico ad caſtra Chani Crimenſis Rex, comitantibus eum Cancellario, aliisque Proceribus, tota caſtra circumcirca obequitabat. Interim juſſu Regio, lucente Lunâ, tumultuario opere, foſſa & vallum præ caſtris excitabatur, ea loca, ubi operæ ſufficere non poterant, curribus opplebantur, Rege totum exercitum ad vigiliam integræ illius noctis adhortante, & alia, quæ vſus belli poſcit, præſcribente. Nocte deinde intempeſtâ, nunciatur Regi, ſparſum ab aliquibus meticuloſis in remotiore caſtrorum parte rumorem, quaſi Rex mediâ nocte diſceſſum è caſtris pararet, tum Rex gnarus, quid ex illâ falsâ famâ perturbationis in exercitu naſci poſſet, illicò conſcenſo equo, tota caſtra prælucentibus funalibus obibat, ſuam omnibus teſtatam faciens præſentiam, idq; ipſum iteratâ vice præſtitit, quò invictæ ſuæ conſtantiæ exemplo revocaret à conſilio turpi fugæ eos, qui illam molirentur.

Poſteræ diei ſummâ luce ab alterâ parte li-

mosæ illius vię, novus exoritur tumultus, cum Oppidum Zborovvo, aliquot cohortibus peditum præsidio, â Rege firmatum, quinquaginta millia Cosacorum oppugnarent, & impedimentorum nostrorum majorem partem in eâ parte hærentium, innumerabilis Tartarorum multitudo diripere conaretur. Sed utrobiquè irritus conatus hostium fuit, nam & Cosaci ab Oppido repulsi, & calonum lixarumq; nostrorum multitudo ductu optimorum militum, & aliquorum religiosorum, adeò fortiter restitit Barbaris, vt non tantum eos à curribus nostris longè arcuerit, sed etiam ad multa stadia eosdem persequendo, ingentem in illis stragem ediderit. Non dissimili successu Oppidum Zborovvo propugnatum, nam adscita pars calonum & lixarum inter peditatum nostrum Oppidum propugnantem, factâ inde eruptione, ingenti distantiâ loci Cosacos persequendo adeò cædebat, vt eorum cadaveribus campi longè lateque opplerentur. Interim hostis, conjunctis jam viribus, diviso trifariam exercitu (nam quartam partem Castrorum

rum nostrorum Oppidum cum stagno supramemorato tegebat) à fronte Castra Regia aggreditur, atquè inprimis levibus velitationibus distinēdo Regem lævâ, per occultas valles juxta littus stagni infrajacentis, submittebat innumeras legiones peditum, quæ occupato, immi-nenti castris nostris templo, Ruthemio, vallo illud, fossâquè munire, indequè castris nostris propiùs accedere cœperunt, observatâ propugnaculi lævæ partis debilitate, quod nec satis benè munitum, nec sufficiente præsidio firmatum. Quod conspicatus Cancellarius, mandante Rege, quamprimum operas usq; ad ripas stagni continuare, locumquè illum milite firmare imperat. Verum operum continuationem interrupit hostis, mox ex munitione templi Ruthenici, de quo supra meminimus, tormenta & machinas bellicas in nos collineans, iisquè castra nostra quatiens; deinde cæco impetu per occultas valles, secundumquè ripam stagni ad oppugnanda castra nostra, innumerabilem effundens multitudinem, quæ tanto irruit

impetu, ut vnus hoſtium auſus ſit, inſiliens vallum noſtrum, ſignum hoſtile ex illo proferre, ſed mox globo trajectus temeritatis pænas luit. Concurſum interea illùc ab omni parte, tanto conatu fervoreq́; militum noſtrorum, vt hoſtis non tantum oppugnationem, & ipſam pugnam deſereret, ſed uſquè ad templum illud Ruthenicum à noſtris fugatus, illam munitionem abductis raptim ſuis tormentis, noſtris relinquere coactus fuerit. Idem accidit, omnibus alijs locis, vbicunq́; hoſtis excitare propugnacula conabatur. Duravit flagrantiſsima vbiq́; pugna amplius quatuor horis, quâ, fatente poſtmodum ipſomet hoſte, cæſorum decem, lethaliter vulneratorum, & cum ad caſtra hoſtilia ad Zbaraszium ſita, mitterentur, ex vulneribus mortuorum novem millia numerabantur. Ita cæſus hoſtis remiſit plurimum ex impetu, moxq́; tam tormentorum fulmine, quam ſclopetariorum ſtrenuè eiaculantium virtute, equitumq́; noſtrorum ex caſtris excurrentium fortitudine, campis omnibus pulſus, duabus horis ante

meridiem

meridiem, turpiter in castra sua se recepit. Tentabatur quidem adhuc expugnatio Oppidi Zborovvo magno conatu, verum nullo effectu, submittente sæpiùs illuc Rege novas recentesquè militum cohortes.

Expertus jam Chanus Crimensis Regii animi, ejusq; exercitus fortitudinem, ipso medio ejus diei misit respõsum super literas Regias, nocte præteritâ ad se missas. Falsus in primis Regiæ Domus erga se beneficia, causas initæ cum Cosacis societatis, & irruptionis in ditiones Regis tribuebat taciturnitati Reipublicæ, quasi se aspernantis, nequê eum & populos ejus in hominum numero reputantis. Et quamvis venisset huc animo hyemandi, tamẽ quò sibi comparare posset amicitiam, ac fraternitatem Regis, rogare vt Rex deputaret magnum suum Vesirium, hoc est, supremũ Regni Cancellarium, qui cum suo Vesirio colloquium haberet fidum, & fraternũ, sperans ex hoc mutuo colloquio fraternitatem, & amicitiam inter Regem & illum orituram. Huic Epistolæ adjunctæ fuerunt literæ Chmiel-

nicij ad Regem ſcriptæ, per occaſionem literarum Regis, ante aliquot dies, ad caſtra Coſacorum miſſarum, quibus Rex Chmielnicium rebellem, & perfidum declarabat, abrogans illi imperium in exercitum Coſacorum datum; Coſacos verò monens, ne Chmielnicium amplius audirent, ſed huic obedirent, quem Rex illis, literis ſuis publicis, præficiebat. In hâc itaquè Epiſtolâ Chmielnicius ad Regem ſcriptâ, magnâ cum ſubmiſsione animi fidem ſuam, & obſequium erga Regem aſſerens, & quicquid malorum ſecutum fuerat, Regiis exercitibus, ſe perſequentibus, tribuens, promptum ſe exequendis imperatis Regiis, reſignandæq́; poteſtatis in Coſacos ſibi conceſſæ, oſtendebat. Utriſq́; his literis lectis, reſpondit Rex literis Chani Crimenſis, deputaturum ſe Cancellarium, illiq́; commiſſurũ, vt loco aliquo, inter vtraq́; caſtra medio, cum Veſirio Chani colloqueretur. Inclinante jam ſole verſus occaſum, nunciant Vigiles caſtrorũ, Veſirium Crimenſem in campo adeſſe Cancellarium prę ſtolantem, tum Cancellarius poſt ali-
quam

quàm temporis moram, Vesirio ad colloquium, propè ipsa castra Regia, in locum à se delectum, evocato, tandem castris egressus, inter innumerabiles hominum catervas, longè à loco congressûs consistentes, octo è suis comitibus assumptis, in vallem planam ad eum descendit. Ibi dictâ in primis mutuò salute, quid nomine Domini sui adferret Vesirius, rogat Cancellarius, quandoquidē Rex, Dominus ejus, rogatus à Chano Crimensi eâ de causâ illum misit, vt intelligeret, quid Vesirius nomine Domini sui posceret. Paucis respondet Vesirius, se à Domino suo missum esse cum testificatione benevolentis & amicitiæ fraternæ erga Regem, ad quam eum invitabant vetera beneficia Regiæ Domus: hinc ad vlteriores sermones inter Cancellarium, & Vesirium ventum, per quos Cancellarius id agebat, vt mentem Vesirij altiùs introspiceret, quidnam sub specie amicitiæ Dominus ejus vellet. Postquam verò intellexit nō ampliùs peti, quam stipendium militare, antiquitùs à Regibus Poloniæ Chanis Crimensibus dari solitum, & præte-

rea gratiam Regiam Cosacis, pollicitus Cancellarius totum, quod audiverat, Regi se relaturum, curaturumq́;, vt amicitia, & fraternitas inter hos Principes redintegretur, pacti invicem posterâ luce seredituros, cæptumq́; colloquium continuaturos, amicè ad castra sua digrediuntur. Priusquã ex eo loco abirent, misit Vesirius tam ad Cosacos, Oppidum Zborovvo incessanter oppugnantes, qui, minis interpositis, eos monerent, ut illicô ab oppugnatione Oppidi desisterent, munitiones desererent, tormentisq́; inde abductis, in castris suis se continerent, quam qui Tartaros circa castra Regia, cum nostris velitationes exercentes, campis vndiq́; depellerent. Finitâ, per hæc, eâ die, successit nox quietissima, vigiliæ tamen castrorum non intermissâ diligẽtiâ peragebantur, ne hostis sub specie amicitiæ nocturnis insidijs nos appeteret. Ergo decimà septimâ Augusti prodierunt iterum in campum Cancellarius, & Vesirius, inter ingẽtes ab vtrinq́; effusas copias, inter quas amicæ salutationes & colloquia, tanquam perfectâ pace peragebantur,

non ſine ingenti diſcrimine Cancellarij, quem ſæpè innumerabili agmine circumvallabat hoſtis, prætextu congreſsûs, & colloqij, cum noſtris hominibus, quod ille intrepido animo ſuſtinuit, neq; ab incæpto opere paſſus eſt ſe revocari ab his, qui indemnitati ejus volebant conſultum. Stetit itaq; pax, intra horas viginti quatuor, computando tempus ab illâ horâ quâ, tractari cœptum, conſtitutis pactis glorioſiſsimis, quorum hæc eſt eſſentia.

Ab hâc horâ ſit inter Regem JOANNEM CASIMIRVM, ejusq; Succeſſores Reges Poloniȩ, & IslanGiereium Imperatorem Tartarorum, ejusq; familiam Giereiam, amicitia, & fraternitas in perpetuum. Rex Poloniæ, ex liberalitate & munificentiâ ſuâ, dabit Stipendium ordinarium Imperatori Tartarorum quotannis, quod ipſe per Legatos ſuos petet, miſſos Camenecum in Podoliam. Imperator viciſſim Tartarorum erit obſtrictus, adeſſe Regi cum omnibus ſuis copiis, quandocunq; Rex juſſerit, contra quemvis hoſtem Regis. Non amplius licitum erit vel uni equiti Tartarico, hoſtili animo ingredi viciniora Regis Poloniæ, aut prædas agere, imò Imperator Tartarorum indemnes ab omni incurſione Tartarica præſtabit ditiones Regis Poloniæ. A Caſtris Zbarazenſibus obſeſſis confeſtim Tartaricas, quam Coſacorum copias abſolvet, illumq; exercitum ad Caſtra

Sac.

Sac. Reg. Majestatis vel quocunq; Rex jusserit, transeuntem minimè infestabit. Ex ditionibus Sac. Reg. Majestatis, sine vllâ morâ, omnes Tartaricos exercitus, & quicquid est Turcarum Vromeliensium educet, & ad illorum sedes relegabit. Rex autem Poloniæ in gratiam Imperatoris Tartarorum, exercitum Cosacorum Zaporoviensium humiliter veniam rebellionis petentem, & scelus suum deprecantem, à crimine prædicto absolvet, & in gratiam Regiam recipiet.

Sic pace cum Imperatore Tartarorum stabilitâ, digrediuntur Cancellarius & Vesirius cum applausu & lætitiâ totius exercitûs, mandans Cancellarius Chmielnicio, qui Vesiriū comitatus eò advenerat, vt intra duas horas mitteret ex suis aliquos ad Regem, nomine totius exercitûs Zaporoviensis, petēdæ veniæ causâ, quod ille mox executus est. Advenientes itaq; in Castra Regia, qui à Chmielnicio missi erant, ducebantur inter densa agmina militum in amplissimum tentorium ad Regem pro Majestate sedentem, in cujus conspectū postquam venerunt, procidentes in terram, crimen totius exercitus cum lachrymis confessi sunt, veniamq; & misericordiam orando, supplicem libellum nomine totius exercitûs Regi porrexêre. Deinde nomine Regis respondit Cancellarius, Regem pro innatâ clementiâ nullius, tanto minùs Subditorum suorum cruoris sitientem, gravissimum crimen exercitui suo Zaporoviensi ignoscere, modò deinceps ille atrocissimum hoc delictum, fide, obsequio, virtute, corrigere, & supplere contendat,

dat, quod autem attineret ſupplicem libellum, Regem ea, quæ petuntur, expenſurum conceſſurumq; quæ ex dignitate Majeſtatis ſuæ, & ex ſecuritate ſalutis Reipublicæ concedi poterunt.

His peractis duo ſequentes dies, exequendis rebus jam conſtitutis dati, videlicet dum Rex ſuper petita Coſacorũ voluntatem ſuam declararet, dum Chmielnicius fidem, & obſequium, nomine totius exercitûs Regi, & Reipublicæ juraret, dum literæ Pactorum vltrò citroquè redderentur; dum inter ipſos Principes familiariores viſitationes peragerentur, certantibus Principibus inter ſe donis, miſſis vltrò citroquè præſtantibus equis.

Tertiâ tandem die abibant omnes Tartarici exercitus, verſus Zbaraszium, eos ſequebantur Coſacorum legiones, priùs tamen veniente ipſo Chmielnicio ad caſtra noſtra, veneratum Regem, ad quem introductus in terram proſtratus, veniam criminis flens petiit, omnem in poſterum fidem & obſequium Regi pollicitus.

Hâc ratione, intra breve temporis ſpatium, extinctum eſt formidabilis belli incendium, nõ ad ſolius Regni Poloniæ ruinam, ſed ad Chriſtianitatis totius perniciem excitatum. Rex per biduum in eodem cõſiſtens loco, non priùs promovit caſtra, quam intellexit, omnes Tartaricas & Coſacorum legiones ad Zbaraszium perveniſſe. Lento ergo agmine incedendo, rurſus ea apud Gliniany, verſus Leopolim, firmat, opperiens, de exerci-

tu Zbaraszensi notitiam, quâ habitâ, sciensq; copias illas ab obsidione jam liberas, iter versus Gliniany suscepisse Leopolim ingressus, solennes Deo reddidit gratiarum actiones. Quo paucis post diebus tres Duces, quos Rex exercitui postmodum ad Zbaraszium obsesso, pari potestate praefecerat, venientes, nimirum Andreas Firlei Palatinus Sendomiriensis, Stanislaus Lanckoronski Castellanus Camenecensis, Nicolaus Ostrorog Pocillator Regni, submissè Regi actis gratijs, quod vitae suae discrimine, illis obsidione liberatis, salutem dederit, recensuêre, volente Rege, acta totius illius arctissimae obsidionis. Quae quoniam longum esset hîc repetere sufficiet innuisse, decem non amplius millium exercitum, septem hebdomadarum spatio, trecentorum millium Cosacorum, centum verò millium Tartarorum obsidionem sustinuisse, hostem aliquando intra vnam diem duodecies, aliquando quindecies oppugnationem Castrorum nostrorum resumentem, semper strenuè rejecisse, Cosacorum & Tartarorum supra Sexaginta millia cecidisse, ex nostris duobus tantum Millibus, iisquè majori ex parte, morbis, famequè mortuis, desideratis. Ad eam enim rerum omnium inopiam, quando soluta est obsidio redactus fuit Regius exercitus, vt ne sex quidem dierum intervallo, amplius illam ferre potuisset. Quae omnia cunctorum quidem, quos illa claudebat obsidio, virtute steterunt, sed inter alios Ducis Wisniewiecy animi fortitudine, & pugnandi peritiâ qui hâc obsidione eximij bellatoris laudem est consecutus. His Rex auditis, postea de continendo in futuris hybernis exercitu, cum Ducibus belli egit, rebusq; omnibus perfectis Varsaviam redijt, Reginâ ipsi duorum dierum itinere obviam prodeunte.